



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 60. Ortus & Historia Urbani VII. Pontificis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

rat, hic Pontifex ad Cardinalem sancti ^{Sæcul. XVI,}
 Marcelli conversus dixerat: *hoc opus* ^{A.C. 1590.}
sua Eminentia complebit.

§. LX.

*Ortus, & Historia Urbani VII.
 Pontificis.*

Hic Pontifex Romæ die quarta Au- ^{Ciac. Spand.}
 gusti Anno Domini millesimo quin- ^{& Thu. l. c.}
 gentesimo vigesimo primo ex nobilissi-
 mo genere ortus filius erat Cosmæ No-
 bilis Genuensis, & illustrissimæ Matro-
 næ Romanæ ex Ricciorum familia natæ,
 quæ Neptis erat Jacobatii Cardinalis,
 cujus cura Castaneus liberaliter edu-
 catus jam a teneris unguiculis cano-
 nicæ, ac civilis jurisprudentiæ studio
 operam navabat, postea vero utram-
 que disciplinam publice professus in-
 signem in rebus gerendis dexteritatem
 præferebat: quapropter a Julio III.
 Rossanensis Archiepiscopus, a Pio au-
 tem quarto Legatus ad Concilium Tri-
 dentinum nominabatur, porro inde re-
 dux primo in Hispaniam, & postea Ve-
 netias tanquam Sedis Apostolicæ Nun-
 tius decernebatur, ubi Henricum III.
 e Polonia reversum salutabat, suaque
 morum comitate, pacisque studio tan-
 topere Regis Catholici benevolentiam
 sibi conciliaverat, ut ejusdem filiam e
 sacro fonte suscipere mereretur: præ-
 terea

Sæcul. XVI
A.C. 1590

terea tanquam Legatus præter morem missus Coloniam venerat, ut summi Pontificis nomine colloquiis interesset, in quibus de pace inter Leodiensem Episcopum, & Hispaniæ Regem, necnon foederatas Belgii Provincias agebatur: denique in præmium amplissimi meriti, atque obsequii, quod in plurimis, diversisque negotiis sacrae Sedi præstiterat, a Gregorio XII. Romana purpura honoratus est unacum aliis octodecim, qui ab eodem Pontifice Mense Decembris Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo tertio Cardinalium Collegio adscripti inter suos omnino quatuor numerabant, qui ad supremum Pontificatum evecti sunt: erant autem I. Castaneus sub nomine Urbani VII. II. Gregorius XIV. III. Innocentius IX. IV. Leo XI.

§. LXI.

Fausta hujus Pontificatus auspicia.

Thuan.
l. 100.
Gaz. l. c.

Prima Pontificatus sui die Papa ad Vaticanum Palatium deductus Senonensi Cardinali duo aureorum millia, & Albanensi mille donabat, atque omne æs alienum, quo Mons Pietatis gravabatur, solvi jubebat, insuper cunctam pecuniam, quam adhuc Cardinalis quibusdam mutuam dederat. eis liberaliter remisit, ingentemque auri copiam